



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

Eminentissimo & Reverendissimo Domino Nicolao Romanæ Ecclesiæ
Presbytero Cardinali Lercari. Tituli SS. Joannis, & Pauli in Monte Cœlio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)



Eminentissimo & Reverendissimo Domino

NICOLAO MARIÆ

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE PRESBYTERO

CARDINALI LERCARI.

Tituli SS. JOANNIS, & PAULI in Monte Cœlio.

HIERONYMUS MAINARDUS P.



OSTERUM *Bullarii Romani Volumen, CARDINALIS EMINENTISSIME, quod Typis meis evulgo, Apostolicarum Constitutionum, quas complectitur, numero, conditione, & gravitate*

Bullarii Romani Contin. Pars IX.

* 2

vix

D E D I C A T I O.

vix ulli secundum habetur. A juris peritis proinde exoptatum mature prodit: nec minori cura ab iis expetitur, qui Ecclesiasticæ disciplinæ ducuntur studio. Conjicere itaque vel hinc licet, quam libenti animo Catholicæ Religionis, pietatis, & Christianorum morum amantes sint excepturi, ut hoc veluti novo præsidio Sacrorum jura, & disciplinam firment, provehant, & tueantur. Ut dignum illi Patronum adsciscerem, tuumque cum ipso nomen proferatur, & celebretur, Tibi, PRINCEPS AMPLISSIME, dico, & consecro. Qui eximiis tuis exigentibus meritis, post probe sapienterque obita gravissima munera, nota virtute unice commendatus, summæ rei a Secretis a Sanctissimo Pontifice Max. BENEDICTO XIII. constitutus fuisti. Quo exornatus munere graviora, & molestiora Summi Pontificatus negotia tam feliciter pertractasti, & confecisti, ut constanti omnium judicio magis magisque comprobatus, dignissimus es habitus, qui in Amplissimum Ordinem Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ provehereris. Ea vero dignitate ab eodem Summo Pontifice auctus integerrime, & accurate partes tuas explevisti, & explere pergis. Divinæ siquidem amplificandæ gloriæ, Catholicæ Fidei rationibus promovendis, Apostolicæ Sedis tuendis
juribus

D E D I C A T I O.

juribus atque justitiæ administrandæ sedulo intentus, nihil præ Te fers, nisi quod fas piumque noscis, ac pro rerum, & personarum discrimine debes. Huic studio dignos sacro Præsule mores addis: quibus egregie præstans, & constanti omnium præconio celebratus, facile in tui amorem, & venerationem, illorum qui Te norunt voluntates, & animos attrahis, iisque ornaris laudibus, quas nonnisi probata præclaris exemplis, ac diuturno experimento virtus, vindicare sibi solet, & merito acquirere. Neque id mirum. Cardinalatus enim Dignitatem non ad externum Personæ ostentandum decorem, sed ad virtutis incrementum sustines; verumque dedecus, ac dispendium putas, quod ab illa recedit, justoque adversatur, & recto. Gravem profecto modestiæ tuæ, CARDINALIS AMPLISSIME, molestiam afferrem, si eximias animi dotes, quibus ornaris, ac de universis benemereri studes, singillatim memorarem. Sed alto licet illas præteream silentio, quicumque Te norunt, admirantur & prædicant: augetque virtuti meritum laudem contempsisse, quam tot nominibus spectata sibi vindicat. Tot ergo motus causis, & impulsus momentis, gravissimo tuo Patrocinio, quo me jampridem complecti dignatus es, summopere glorior. Ut autem acceptorum beneficiorum,

DEDICATIO.

*ficiorum, si non gratiam aliquam referrem, quale-
cumque saltem grati animi testimonium exhibe-
rem, hoc Volumen, quod multipliciter Tibi com-
petit, acceptumque futurum est, tuo insignitum
nomine publicare statui. Mei erga Te debiti una
cum munere apud posteros perennabit : nec in-
gratus omnino obiisse orbi literario videbor, apud
quem semper honos, nomenque tuum, laudesque
manebunt. Quod unum, EMINENTISSIME
PRINCEPS, a Te peto & flagito, me, ut
hactenus benigne fecisti, validissimo Patrocinio
tuo fovere ac tueri pergas. Quod si obtinero,
gratissimum Tibi obsequium meum fuisse, atque
esse putabo.*

